

Iuppiter summo studio quaesivisse, quodnam animantium genus pulchriores filios produceret. Quocirca omne ferarum genus ac squamigeros etiam pisces hominibus permixtos ad eum liberis confluisse. Inter haec comparuisse etiam simiam, parvum inter ulnas natum gerentem et  
5 quasi omnium pulcherrimum Iovi ostentantem. Quae res cum deum ad risum forte movisset, simiam in hoc carmen prorupisse:

»Iuppiter hoc norit, maneat victoria si quem,  
iudicio praeest omnibus iste meo.«

Id mihi contingere in praesentia tibi videtur, cuius oratio, cum bar-  
10 bara sit, puerilis, inepta et ne mediocriter quidem eruditio viro conveniens. Tamen eloquentiam tuam extollis et quasi simia filium tuum Iovi ostentans ab eo atque omni turba irrideris, homo plane rudis et barbarus.

Post haec finem epistolae his verbis imponis: »Finem nunc faciam, 75.  
15 si illud addidero me pro viribus ingenii et eloquentiae — nihil enim aliud mihi inest gloriae — maiestati tuae semper integro animo servituum.«

Plura etiam erant, quae notari a nobis iure optimo potuissent; sed his in praesentia contenti nunc ad alteram epistolam transeamus.  
20 »Meam autem videndi tui et alloquendi cupiditatem illud duxit, 76.  
quod spero. Immo certior sum futurum te totius terrarum orbis dominum atque imperatorem.«

Iam non modo sperat Trapezuntius, non modo optat, sed compertum etiam habet et certo certior est Turcum totius terrarum orbis  
25 imperium adepturum. Inanes ergo sunt cogitationes tuae. Frustra abs te suscepti sunt tot labores, Paule secunde, pontifex maxime, cui M 15  
statim post suscepta pontificatus gubernacula nihil antiquius fuit, nihil quod magis cordi atque animo insideret, quam ut labantem principum nostrorum negligentia Christianorum rempublicam sustineres, demer-  
30 sam erigeres, oppressam sublevares et impissimum Turcorum tyrannum ex Europa atque omnibus Christianorum finibus expelleres. Iam non parum videberis fecisse, si tueri pontificatum tuum poteris. Sed ne hoc quidem poteris, si Trapezuntio credimus. Omnia enim occupaturus est Turcus et totius orbis dominus atque imperator futurus. Verum  
35 comprime, quaeso, aliquando tetrum hoc et detestabile monstrum. Noli pati, ut suo contaminatissimo spiritu omnia inficiat atque commaculet. Nimum crevit audacia et temeritas hominis. Ter intra annos quindecim carcerem est expertus. Primo iracundia, secundo libido, tertio perduellionis crimen eum in vincula compulerunt. Auxit semper  
40 furorem, et impunitas eum ad quaevis flagitia praecipitem fecit. Noli

per Deum immortalem, summe pontifex, hanc rem aspernari. Noli contemnere, noli negligere. Satis hactenus clementiae ostendisti. Quicquid posthac patieris, perniciosi erit exempli, laedet maiestatem tuam, illius augebit improbitatem.

77. Sed iam ad cetera pergamus:

5

»Et ad summum pontificem et ad reverendissimos dominos cardinales multosque alios, Deus est mihi testis, de iustitia tua, de prudentia, de peritia philosophiae Aristotelicae, de doctrina in omnibus disciplinis multa, inquam, praeclaraque retuli.« Et paulo post: »Haec omnia non dicendo solum ad praesentes, verum etiam in scribendo ad absentes 10 et posteros dictitans, omnibus, qui latine intelligunt, patefacere conor.«

Adulatur in his Turco pro more suo. Sed en mira suavitas et elegantia eius, qui se eloquentiae principatum tenere profitetur.

78. »Nam cum ex animo cuncta haec vera esse credam, tacere non 15 possum nec debeo. Quod autem haec vera sint, primum Deus eventu rerum, quae a condita Constantinopoli consecutae sunt, universo generi hominum aperte ostendit, deinde hominum malitia clamat, tertio religionum professiones confirmant.«

Audite, audite, obsecro, quibus rationibus homo impurus im- 20 pendere Christianis fatum et portendi Turco imperium sibi persuaserit. Primo experientia, quod post Byzantii excidium omnia barbaro feliciter successerint, deinde nequitia, improbitate, scelere Christianorum, postremo eorum culpa, qui in religione principatum obtinent, hoc est sacerdotum atque pontificum, in quibus deficere iam ac labefactari fidem 25 coepisse confirmat. Sed hoc multo apertius declarat, tum inferius in hac ipsa epistola, tum in eo libro, quem de comparatione philosophorum inscripsit, ubi nec privatis nec principibus nec regibus nec sacerdotibus nec episcopis nec summis pontificibus parcat, quemadmodum, cum ad eum locum ventum erit, apertissime demonstrabimus, quamquam aliis 30 M 15<sup>v</sup> quoque in locis eousque amentiae proruperit vel potius furoris, ut nominatim etiam invehi in pontifices maximos fuerit ausus. Principem illum innocentissimum Nicolaum quintum, pontificem maximum, cuius et sapientia et doctrina et vitae sanctitas tanta fuit, ut suavissimam eius memoriam nulla oblitteratura sit aetas, a quo tot beneficiis suble- 35 vatus, honestatus, auctus fuerat, in commentariis, quos in magnam compositionem Ptolemaei furto a Theone subtractos edidit, tum etiam in margine problematum Aristotelis, quae e graeca lingua in latinam pervertit, adeo turpiter atque ignominiose non modo ignorantiae, sed aliorum quoque vitiorum accusare, polluere ac maculare conatus est, 40 ut tantum flagitium non modo viri, sed ne mulieres quidem passurae esse videantur, cum nomen illius summa omnes religione colant et venerentur.

Sed iam ad alia properemus:

79.

»Coepit statim providentia divina domum tuam, cui, ut scriptura dicit, unionem et fidei et ecclesiae et imperii Deus reservavit, paulatim atque paulatim exaltare.«

5 O scelus, o pestis, o flagitium! Hucusque unum totius orbis futurum imperatorem ostendit. Nunc unam etiam fidem futuram pollicetur, hoc est Mahumetanam. Id enim sentire impium hominem manifestum est, cum confirmaturum se id sacrarum litterarum testimonio dicat, quas epistolae committere periculosum esse paulo inferius asserit, quod  
10 certe non esset, si de christiana fide loqueretur. Verba eius haec sunt: »Nam de scripturis, quae generi hoc portendunt tuo, non est tutum litteris committere. Quare id in aliud tempus transferatur, si gratia Dei nos iterum iussu tuo atque auxilio in Thraciam atque ad celsitudinis tuae pedes reducat.« Quae res hinc etiam colligi manifestius potest,  
15 quod verba de salvatore nostro Christo Iesu a sacratissimo vate decantata transfert in impium Turcum, eumque aurum Arabiae vocat, quasi ille humani generis salvator sit futurus. O bone Iesu, quae digna poena, quod satis conveniens supplicium huic immani beluae reperiri aut cogitari poterit? Non potest iam tergiversari homo impius, infidelis,  
20 Turcus. Tenetur sua confessione, convincitur, premitur, urgetur. Expellite hunc christiani principes ex urbe, eiicite ex Italia, e finibus Christianorum exterminate. Quamdiu nobiscum erit, ut Helena Troianis, vel potius ut Sphinx Thebanis, nobis et reipublicae christianae causa pestis erit, causa calamitatis, causa exitii. Sustinere tale portentum  
25 amplius terra nostra non potest. Sed verba eius afferamus: »Hoc enim profecto illud est, quod rex et propheta David in LXXI cecinit psalmo: et vivet et dabitur ei de auro Arabiae. Aurum enim te ipsum, te ipsum inquam, appellavit.« Paulo post in laudem tyranni subiungit: »Et praecipue propter iustitiam, quae ad te ita tota refluxit, ut ceteros  
30 principes penitus reliquisse videatur.«

M 16

Desciscimus iam abs te, Romane pontifex, et abs te mitissime impera- 80.  
tor Federice Auguste. A vobis quoque, christiani reges et principes, desciscimus: Facessite, facessite omnes. Nulla apud vos fides amplius, nulla pietas, nulla religio, nullum aequitatis aut iustitiae vestigium,  
35 nullae praeterea leges, nulla iudicum subsellia, nullum tribunal. Haec omnia a vobis discesserunt et ad Turcum defluxere, ad quem mox etiam imperia et regna vestra deventura sunt. Ad illum iam de rebus constituendis, iudicandis, agendis referendum est. Illius sacrosanctum tribunal petendum, ab illo iustitia imploranda, vel saltem a vobis  
40 omnibus ad illum provocandum est. Ille scilicet accubans in conviviis, teterrimam popinam exhalans, vino languidus, cibo confectus, inter medios paelicum choros, marium nefandissimis stupris debilitatus, prothiara illa infulisque imperii sertis redimitus, diversis oblitus unguentis,

cum illo superis irato supercilio leges ac iura dabit et Christianorum spoliis onustus de aliorum iniuriis decernet. Utinam tibi contingat, ut omnium primus tam immanis beluae iudicium adire et, quam tantopere laudas, experiri iustitiam cogaris, homo miserrime, digne qui naufragio expulsus uspiam, saxis fixus asperis, evisceratus latere 5 pendeas, ut Ennius ait: »saxa spargens tabo, sanie, sanguine atro.«

81. Quodsi tua maxime causa defluxisse ad Turcum iustitiam et ceteros principes reliquisse commemoras, quia meritum de sceleribus tuis supplicium non sumpserunt, equidem facile tibi indulgeo et in hac re sola verum te dixisse confiteor. Quod ideo tibi accidit, quia 10 cum iustitia in hac parte pugnante dementia mitissimus pontifex vinci potius a clementia voluit. In quo falleris, si eum semper talem futurum existimas. Diversis praeterea in locis Turci virtutem et iustitiam commemoras, eumque verum Romanorum imperatorem non ab hominibus, sed a Deo creatum iactas. Ita enim scribis: »Tum ipsae rerum 15 variae immutationes et corporum Europae inaudita confusio his nostris temporibus cuncta in melius reformanda significant, tum etiam tua virtus et felicitas et res magnificentissime gestae id ipsum portendunt.« Et paulo post: »Sic tu confusum iam orbem et titubantem non magis felicitate quam iustitia, prudentia, magnitudine animi, omnique vir- 20 tutis munere atque auctoritate revoces, reducas, impellas.« Item: »Ad haec nemo dubitat, quin iam iure Romanorum imperator sis. Is enim imperator est, qui sedem imperii iure obtinet.« Item: »Sed tu non ab hominibus, sed a Deo per ensem tuum dictam possides sedem. Iure tu ergo Romanorum imperator es.« Item: »Sequitur ergo rerum 25 ipsarum multiplici ac longissima serie, cum totius tu orbis terrarum iure imperator sis, neminem mentis compotem dubitare posse in tuos rediturum imperium et usque ad ultima saecula duraturum.« Item: M 16<sup>v</sup> »Multis signis et auctoritate scripturae confirmati, in qua plane tangitur, summum in genere tuo futurum imperium.« 30

82. Post haec, ut Turco magis gratificaretur et, ut est omnium avarissimus, pecuniam ab eo extorqueret, mentitur se Ptolemaeum, quem iam diu non latinum, sed barbarum et multis in locis mendacem fecerat, nondum edidisse, ideoque tam egregium opus ad eum missurum et nomini eius se dedicaturum pollicetur una cum commentariis, quibus 35 sese id opus exposuisse gloriatur. In quibus nihil est alicuius dumtaxat momenti, quod non sit a Theone, Ptolemaei expositore, furto sublatum. Sed verba ineptissimi ponamus: »Ptolemaeus iam pridem in latinam a nobis traductus linguam est, sed non adhuc editus. Et quoniam ad hunc usque diem non recte intellectum almagestum comperimus, 40 commentariis ipsum nostris exposuimus.« Item: »Quae res longo labore, multis vigiliis, addam etiam favore regio indiget magis quam privato,

6 Ennii Thyest. XIV (rec. I. Vahlen 1903, p. 188 n. 363).

et certe hac de causa nec privatim homines possumus, nec reges auxiliantur. « Item: » Quodsi feceris, accedet ad tuarum rerum gestarum laudes omniumque gloriam disciplinarum, et praedicaberis in perpetuum, sicut solus imperator summus, solus maximus in terris exercituum ductor, 5 sic unicus regum omnium in philosophia doctissimus, unicus in cognoscendis caelestium motibus perspicacissimus et in omne genus hominum beneficentissimus, et ita omnes, qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt principes, reges, imperatores omni genere gloriae superabis. «

Ceterum iam loca illa notemus, in quibus Christianorum genus 83. 10 et publice et privatim incessit. Imprimis autem in sacerdotalem ordinem invehitur et omnis calamitatis nostrae vitia, scelera, flagitia hominum causam esse dicit, quae sanari amplius nullo modo nisi Turcorum virtute et iustitia possint. Ponemus autem haec omnia loca simul, atque his ea, quae ex libro de comparatione philosophorum sumpsimus, adiiciemus, 15 ut uno in loco contemplari omnes possint, an calumniatus Trapezuntium Bessario fuerit, an potius pro singulari animi sui moderatione honori, aestimationi, dignitati, saluti improbissimi atque ingratiissimi hominis pepercerit.

« Nam iam adeo ex humana protervia creverunt rapaces, adulteri, 84. 20 mendaces, periuri, simulatores dissimulatoresque rerum omnium. Praeterea homicidae, proditores, fratrum in fratres insidiae, parentum in filios amor iniquus, filiorum in parentes impietas, uxorum in maritos perfidia, maritorum in uxores contemptus, ut nulla sit in hominibus caritas, nullus amor, nulla iustitia, nullum virtutis praemium, nullus 25 ingenii honor, sed omne genus et omnis aetas hominum, omnis conditio et sexus vitio studeat, malitiae vacet, insidiis invigilet, et qui haec non facit, iners, vanus et omnino mente captus a ceteris omnibus iudicetur. Quas ob res derelictos iam a Deo nos nonnulli arbitrantur, qui non dili- M 17 genter inquirunt, quo tendant, quae nobis in dies divinitus immittuntur. «

30 Et paulo post: » Tertium erat, quo quid velit providentia, prout in hac vita fieri potest, percipitur, religio eorum hominum, qui ad Deum conversi, ut aiunt, non huic vitae, sed caelesti se deditos profitentur, quales sunt clerici omnes et monachi, et qui fratres vulgo appellantur, ceteraque cuiuscumque huiusmodi generis. De quorum vitiis nec libet, 35 quoniam omnibus patent, nec licet plura dicere, ne Deo deditos odisse neve homines, sed professiones scriptis insequi videamur. « Item inferius: » In summa tamen dicendum clericos paene omnes non Deo magis inservire quam luxui. Ceteris tanto peiores esse, quanto angustiora magisque ardua profitentur. « Haec ex secunda ad Turcum epistola. Quae sequun- 40 tur ex tertio de comparatione philosophorum libro sumpta sunt.

19 Georg. Trap. Epist. II ad Mahumetum.

Mohler, Kardinal Bessarion. III.

85. Ex capitulo XV: »Sed vetus illa castimonia parum ante Platonis tempora labi coepit. Postea vero corruptores bonorum morum et Graeciam et ceteras partes orbis praecipites in varia multipliciaque turpitudinis gratia dediderunt, adeo ut in multis Graeciae civitatibus, in multis Italiae oppidis, et in ipsa urbe Roma turpe putaretur puero, 5 si non haberet amatorem. Hinc in Gallias fluxa scelerum contagio adeo crevit, ut nemo lege uxorem ducere posset, nisi qui antea loco uxoris habitus fuerat.«
86. Ex capitulo XVI: »Sed doleo, quoniam, quemadmodum sancta orientalium monachorum vita in Platoniam ex ipsa Platonis lectione 10 venerem lapsa, ceterisque contagiosam hanc pestem largita, divinam iram magnitudine sceleris accensam in Graeciae totius eversionem concitavit, sic video sacerdotalem occidentis castitatem non Platonis libris, sed aut imitatione aut copia rerum superbientem in seipsam insanire et universam coinquinare Italiam. Actionibus autem vitaeque 15 simili similes divina providentia exitus accommodat. Quare ne vetus proverbium sic de Italia ut de Graecia dici possit: »stultus non ante ruinam cognoscit, quam ruat«, imitandos esse bonos medicos censeo, qui nullum aegrotis medicamentum afferunt, nisi aegrotandi causam inspexerint. Ignota enim patiendi causa quisquis resistere laboribus 20 nititur, quasi caecus ad praecipitia ruit et detrimentum simul atque amentiae famam lucratur. Sed imminentem exitum, quem omnes timemus, quemque soli praesules repellere possunt, diximus, causamque aperuimus. Remedia vero morbis afferre et, quibus rationibus flagitiosa haec facinora morbique pestiferi reduci queant ad sanitatem, con- 25 scribere non est nostrum. Satis est admonuisse similium causarum similes effectus esse.«
87. In eodem capitulo paulo post: »Hucusque pro virili parte mea M 17<sup>v</sup> dicere, scribere, praedicare possum. De remediis vero pontifices eorumque consilarii videant nec aliunde quam a se ipsis incipiant. Non de 30 omnibus loquor, sed illud dico minorem iam mihi numerum integre viventium videri, quam ut possit apud Deum Italiam sustentare, huius ceterorumque omnium vitiorum causa.«
88. Ex capitulo XVII: »O ignavas principum christianorum mentes! O animos potentum non omnium, sed Platoniorum in clunibus puerorum 35

. 2 morum] *edit. add.* adiuti | 7 lege M] *edit. om.* | 9 quemadmodum M] *edit. om.* | 10 Platonis M librorum Platoniorum *edit.* | 13 sacerdotalem M] *edit. om.* | 15 Italiam M vitam *edit.* | 17 Italia M nobis *edit.* | ante M antea *edit.* | 20 Ignota M Ignorata *edit.* | 23 diximus M] *edit. om.* | 29 praedicare M praedicareque *edit.* | eorumque consilarii M christianique principes *edit.* | 30 nec . . . incipiant M et aliquando remedia afferre incipiant *edit.* | 32 videri *sec. edit.] M om.* | 32 Italiam M nec *edit.* | 33 causa M] *edit. om.*

1 Georg. Trap. Comp. phil. III 15. | 9 Georg. Trap. Comp. phil. III 16. | 34 Georg. Trap. Comp. phil. III 17.

turpiter inclusos!« Ibidem paulo post: »Nullus est, qui de calamitate Christianorum re condoleat, verbis et more Platonico multi, et maxime, qui nominari honoris causa non debent.« »Sed indignationem in defensores crucis, qui verbis veritatem defendunt, re oppugnant dolorem  
5 pro deiectione veritatis. Lacrimas cum pro omnibus tum pro nostris etiam nobisque ipsis rationis freno, quantum fieri potest, reprimamus.« Paulo post: »Multa possunt viri decori, cum velint; volentque forsitan, si Platonem contemnent et nates relinquunt. Hoc non in omnes dico, sed in plures. Quare nemo, nisi seipsum prius prodat, mihi potest  
10 subirasci.«

Ex capitulo XVIII: »Non fuit tam oportunior umquam occasio, 89. si rectam opprimendae falsitatis viam praesides ingrediantur, quam modo est. Sed dum ex altera parte incuria, ignorantia, invidia, amorque sui maior quam crucis, ex altera studium, vigilantia, aequitas, minorque  
15 sui amor quam pietatis falsae in opprobrium divinitus propter Platonicos mores traditi sumus.«

Ex capitulo XIX: »Nos vero, qui finem in caelis vere ac recte 90. ponimus, quoniam id verbo magis quam re facimus, quo devenimus, capitibus late in circulum visis confisi. O pietas, o mores priscorum,  
20 o castimonia praesulum, o sinceritas pontificum, o caritas, o fides, o religio Christianorum omnium, o auctoritas principum, maiestas regum, celsitudo imperatorum! Huccine, huccine rem christianam devenisse oportuit! Huccine calamitatum adhuc Italia incolumi, Galliis florentibus, Alemania imperante, Hispaniis vigentibus labi catholica  
25 veritas relicta est! Rapiuntur sacra, rident pontifices, igni martyrum traduntur reliquiae, voluptates voluptatibus addunt sacerdotes. Sacrae virgines divinis templis rapiuntur, dolent circulo capita signati, quod non ipsi violent, rapiant, stuprent. Expugnantur urbes, capiuntur oppida, integrae Mahumeto in dies subiiciuntur provinciae. Triumphant prin-  
30 cipes, gaudent reges, populi orant, multa milia Christianorum iugum M 18 servitutis quotidie subeunt, et nos, qui eodem baptismate regenerati, ad idem corpus Domini per gratiam reducti, eandem spem et eundem iudicii adventum exspectamus, sedemus et oscitamus maiore corrupti libidine, quam aut Plato somniaverit aut Mahumetus speraverit. Et  
35 quasi causam ignorantes arma paramus fornicationibus inquinati, classes

1 de calamitate Christianorum M] *edit. om.* | 4 veritatem M pietatem *edit.* | 6 freno M frenos *edit.* | 7 Multa M] *edit. om.* | 8 Hoc M Hec *edit.* | 9 mihi M nihil *edit.* | 11 tam M tamen *edit.* | 12 rectam M rectem *edit.* | 17—19 Nos vero . . . confisi M] *edit. om.* | 21 o religio M] *edit. om.* | 24 imperante M imperanti *edit.* | vigentibus M invigentibus *edit.* | 25—28 Rapiuntur . . . stuprent M] *edit. om.* | 31 regenerati M generati *edit.* | 34 libidine M ignavia *edit.* | 35 fornicatione inquinati M] *edit. om.*

instruimus adulteriis dediti, pecuniam pro libertate effundimus igne Sodomitico digni, victoriam prae stultitia speramus mendaciis, rapinis, furto, caedi proximorum studentes. Sanctorum templa oraturi petimus, qui per pecuniam ad gubernacula ecclesiarum ascendimus. Manus ad caelum tendimus, quibus falsa in sodales commercia conscribimus, labia 5 movemus ad preces et corde longe a Deo absumus. Corpore vestito, animo nudo deambulamus. Huc et illuc oculis, capite et cogitatione vagamur. Nulla constantia, nullum robur excelsum animi, nulla aequitas, nulla fides verbis, nullus Dei timor in nobis est. Dignitate aliqua insigniti maiora quam homines sapimus. Privati alter alterum insequimur. 10 Pontifices opus suum adulterant. Litteras ad fraudem discimus. Sacerdotia et Venere acquirimus, et Veneri dedicamus. Divitias voluptati commendamus. Deinde auctorem voluptatum atque principem Mahumetum vincere speramus, et iis vitiis, quibus in opprobrium divinitus traditi sumus, salutem quaerimus.» 15

91. Ex capitulo XX: »Non credunt primates, pontifices negligunt, et qui apud eos plurimum possunt, irrident. Cur, nescio. Nescio, inquam. Cogis, ut dicam? Coniicere possum, vel quoniam a similibus similia non oppugnantur, vel quoniam non utilitati communi, sed voluptati unusquisque invigilat, vel quoniam nullius momenti rem esse putant 20 nec dignam, de qua tantae auctoritatis, scientiae, dignitatis viri verbum facere aut omnino cogitare debeant. Vilescere credunt homines divini suum caeleste ingenium, si ad haec terrena fuerit devolutum.«
92. Haec sunt, immanissimum ac foedissimum monstrum, quod ad Turcorum tyrannum scripsisti. Haec sunt, quae adversus pontificem 25 maximum, adversus sacrosanctum cardinalium senatum, adversus praesules, adversus omnem sacerdotalem ordinem evomuisti. Haec sunt, quibus Romanorum imperatorem, quibus christianos reges ac principes, quos in puerorum clunibus — honor sit legentium auribus — homo sceleratissime dicis inclusos, quibus cives, populos, nationes, omnem 30 denique rempublicam nostram, privatos etiam omnes non modo viros, sed etiam mulieres turpissime insectatus es. Haec omnia et longe plura potuisset in medium proferre Bessario, si voluisset. Sed dedit hoc M 18<sup>v</sup> partim gravitati suae, ne castas et pudicas aures tanta verborum impuritate, tanta obscoenitate orationis, tam horrenda atque execrabili 35 scelerum commemoratione macularet atque inficeret, partim man-

1 adulteriis dediti M] *edit. om.* | igne Sodomitico digni M] *edit. om.* | 2 speramus M] *postulamus edit.* | 2—3 mendaciis . . . studentes M] *edit. om.* | 3 oraturi M] *ornari edit.* | 4 qui per pecuniam . . . ascendimus M] *edit. om.* | 10 sapimus *edit.* | 11 Pontifices] *Opifices M* | 11—12 sacerdotia . . . dedicamus M] *edit. om.* | 13 deinde M] *edit. om.* | 14 iis M] *his edit.* | divinitus M] *edit. om.* | 16 pontifices M] *rati pontifices edit.* | 17 nescio M] *edit. om.* | 18—19 a similibus . . . quoniam M] *edit. om.* | 20 invigilat *edit.* | invigilamus M



suetudini et lenitati, ne te quamvis atrocissimum hostem, Deo hominibusque invisum redderet et salutem ac vitam tuam in periculo poneret. Ego quoque, si qua mihi fides est, horrescens haec retuli. Horrenda enim dictu sunt et execrabilia auditu. Sed quomodo pati potuissem  
 5 vinctum Iesu Christi, virum innocentissimum, optimum, sapientissimum, doctissimum et ipsa iam senectute ac barbae illa canitie venerabilem, quasi calumniatorem ab homine impurissimo vel potius a foedissima belua reprehendi atque damnari? Quid nunc miser suspiras? Quid torqueris? Quid manu caput perfricas? Optares, opinor, ut iam te  
 10 deglutiret terra, quam calcas, quemadmodum olim Moyses precibus Datam et Abirom deglutivit. Times enim vindicem pontificis dexteram et ultrices scelerum flammam reformidas.

Sed cur te invidia, superbia, arrogantia praecipitem tulit? Infelix! 93.  
 Hic enim fons, haec origo, hic fomes omnium malorum tuorum fuit.  
 15 Nam, quia casu nescio quo opinionem olim quandam doctrinae consecutus in Italia fueras, primis illis temporibus, quibus revocari in lucem, quae diu sepulta fuerant, optimarum disciplinarum studia coepere, postquam adventu doctissimorum virorum, quos Nicolaus V pontifex maximus undecumque ad urbem ascivit, ignorantia tua detecta est. Praeser-  
 20 tim nova interpretatione problematum Aristotelis, quam Theodorus Thessalonicensis, vir utriusque linguae doctissimus, edidit, mox te rabies quaedam immensi furoris invasit, et veluti draconis epoto calice insanire ac palam furere coepisti, instarque rabidi canis huc atque illuc anxius circumferri, tamquam non modo ipsum Theodorum, sed quos-  
 25 cumque Theodoro favere intelligeres, — omnes autem ei palmam iure optimo dabant — in eos genuinum exercere, hinc te semper furiae agitare, hinc superbia, indignatio, invidia praecipitem ferre, hinc tu maledictis in omnes invehi, non principibus, non cardinalibus, non summis pontificibus parcere. Quo factum est, ut ex illo fonte ac seminario  
 30 vitiorum tuorum usque adeo tandem audacia et malignitas et perfidia et, ut dicam, desperatio creverit, ut non modo vitam ac mores christianorum principum et populorum spurcissimis verbis foedare atque polluere, sed prodere rempublicam christianam, impium Turcorum tyrannum in Italiam vocare, urbibus, templis, tectis, manibus, fortunis nostris  
 35 ignem subiicere, et tuam impurissimam animam nefarie Mahumetanae sectae consecrare volueris. Atque haec omnia, quantum in te fuit, animo, cogitatione, navigationibus, litteris perfeceras. O scelus nefandum, incredibile, inauditum! O cogitationem quoque eius horribilem atque funestam! Persequeris odio Christianos; fidem, religionem, sacra nostra M 19  
 40 polluis. De imperatore, regibus, principibus nostris res foedas atque obscenas commemoras. Sacerdotibus, religiosi, episcopis, cardinalibus, pontificibus maximis nefandum obiicis scelus. Gallorum gentem turpissimo crimine, quod maxime exhorret, notas. Nulli hominum generi

parcis, nullam senibus reverentiam, nullam mulieribus pietatem, nullam pueris miserationem adhibes, omnia labefactas, omnia inficis, omnia maculas, omnia coinquinas, omnia profanas. Verum cum iam detecta sint scelera et flagitia tua, cum nulla amplius subesse excusatio possit, cum tuis litteris, tum tuis operibus convictus undique 5 tentaris. Tunc venire amplius in hominum conspectum, tu templa ac delubra sanctorum intrare, tu fanorum sanctissimum limen ingredi, tu sacris mysteriis os illud impudentissimum ostendere amplius audebis?

94. Sed ad te Pontifex Maxime, ad te Auguste Caesar, ad vos christiani 10 reges et principes orationem meam converto, quos monstrum hoc nostri saeculi turpissimum non modo dignitate et fama, sed imperiis, regnis, libertate spoliare et turpissimae barbarorum servituti subiicere ausus est. Vos etiam Galli, Hispani, Germani, Itali et ceterae gentes, quae Christi religionem colitis, appello, quos omnes hoc scelestissimum 15 caput post tot convitia, tot contumelias, tot opprobria foedo atque intolerabili iugo sceleratissimi tyranni subdere voluit, quorum urbes, agros, domos, penates, fortunas, uxores, liberos depeculatori, praedoni, hosti nostrae religionis tradere cogitavit et, quantum in eo fuit, tradidit. Vos, inquam, omnes appello, vos imploro, vos testor. Hancine luem 20 hancine pestem, hancine tabem, hancine humani generis infamiam sustinere amplius poteritis? Spartiatae opus Archilochi, quia parum honeste scriptum videbatur, legi a civibus suis vetuerunt. Octavius Augustus Nasonem illustrem poetam, quia de arte amandi libros scripserat, in ultimam Scythiam relegavit. Plato poetas, quia de diis 25 parum honesta et fingebant et loquebantur, ex urbe atque republica pellendos censuit. Romani veteres, cum patritii quidam male de republica meriti essent, non modo capite damnandos censuerunt, sed ne deinde illorum praenomina alicui patritio inderentur, legibus prohibuere quo nomina quoque eorum perpetuae infamiae contumelia notarentur. 30 Vos hominem istum impurum, barbarum, sordidum, proditorem divinae religionis, haeticum, Turcum, immo Turco turciorem, immo Turcorum omnium turcissimum, grassari diutius cum suis foedissimis scriptis supra terram gloriantem de sceleribus suis et suo contaminatissimo spiritu omnia polluentem patiemini? 35

95. Multa genuit natura mortalibus horrenda, apros, leones, tigros, M 19<sup>v</sup> serpentes et alias immanes feras. Sed haec silvis dumtaxat et desertis locis vagantur. Monstra etiam diversis temporibus plura fuerunt. Sed Caccus in uno Aventino monte, Scylla et Charybdis in freto Siciliae, Cyclopes in monte Aetna, Sphinx apud Thebas, Cerberus apud inferos, 40 denique Hydra, Medusa, Harpyiae et alia cuiuscumque saeculi monstra in suo quodque solo grassari consueverunt. At hoc nostri saeculi monstrum, omnibus quae memoravi turpius, hoc prodigium, hoc portentum,

haec pestis, haec lues, et si quid dici tetrius potest, omnes populos, omnes urbes, omnes provincias, omnes nationes invasit, polluit, foedavit, contaminavit, infecit.

Facile quidem mihi persuadeo vos omnes vestra sponte ad oppri- 96.  
 5 mendum tale monstrum iam paratos atque animo erectos esse. Verum-  
 tamen faciam, quod optimi imperatores consueverunt, et quemadmo-  
 dum illi, quamvis instructa acie promptissimos ad invadendum hostem  
 milites videant, nihilo minus eos hortantur, sic ego vos iam animo  
 ardentis et ad trucissimi hostis excidium inflammatos oratione mea  
 10 cohortabor. Exsurgite igitur, exsurgite pontifices, exsurgite Caesares,  
 exsurgite reges et principes, vos populi omnes et universae nationes  
 exsurgite, simul cum viris mulieres, cum senibus pueri, cum liberis  
 servi, cum civibus civitates, exsurgite inquam omnes, et hunc scelera-  
 tissimum hominem, hanc truculentissimam feram, hoc immanissimum  
 15 monstrum non ex urbe abigite, non ex Italia exterminate, non ultra  
 Sauromatas, ut poeta inquit, et glaciale oceanum relegate, sed caeden-  
 dum flagris et usque ad ossa dilaniandum, discerpendum, dilacerandum  
 tradite. Post haec pleno theatro pice, bitumine, sulfure, fumo, fulgure,  
 flamma exstinguite, et postquam contaminatissimum illum spiritum et  
 20 foedissimam animam emiserit, non sepelite, non in equuleum insuite,  
 non devorandum feris atque volucris telluri inhumatum relinquite,  
 sed in loco edito atque percelebri in altissima cruce pedibus suspendite,  
 ut longissimo tempore videri ac conspui ab omnibus praetereuntibus  
 possit et lapidibus, fustibus, sordibus, luto, caeno, sterquilinio foedari.

M *subscripsit*: Cretensis finit feliciter. Θεῶ χάρις.